

**Associazione Nuova Cîteaux**

*Documenti*

**Benedetto XII**

**Fulgens sicut stella**

*Pro reformatione Ordinis*

*Cisterciensis*

***Testo latino***

Constitutio<sup>1</sup>  
Benedicti Papae XII  
**Fulgens sicut stella**  
Pro reformatione Ordinis Cisterciensis  
1335

Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1. Praeclara Cisterc. Ordinis commendatio, maxime quoad vitam contemplativam.

Fulgens sicut stella matutina in medio nebulae, sacer Cisterciensis Ordo in Ecclesia militante militat operibus et exemplis, fervideque satagit per sanctae contemplationis applausum, et innocentis vitae meritum montana scandere cum Maria, seque per exercitium laudabilium actionum et pensum piorum operum curiosum Marthae satagentis officio conformare. Hic nempe Ordo in divini cultus ministerio sedulus, ut sibi et aliis proficiat ad salutem, in sacrae lectione paginae studiosus, ut ad perfectam excellentiae supernae cognitionem valeat pervenire; praestans et promptus in operibus caritatis, ut adimpleat legem Christi, a mari usque ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, et proinde per Sacri Pneumatis in fiammantis corda debilia fistulas gratiis abundavit; dignumque se reddidit a Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium magistra, multis insigniri privilegiis et gratiosis favoribus communiri. Huius quoque Ordinis ab adolescentia nostra perseveranter iugum sustulimus, et in eo alumni effecti per temporum curricula diurna crevimus, tam in illo quam extra ipsum successivis praelationum honoribus, et tandem concendimus (quamquam immeriti) summi cathedram pastoratus. Licet autem, exigente apostolici ministerii cura, cuiuslibet Ordinis approbati clementum felix et floridum plenis affectibus in eo zelemur, a quo coelicae ac terrenae salutis perfectio derivatur; eumdem tamen Cisterciensem Ordinem acie internae devotionis et caritatis aspicimus, et ea quae ipsius salutem et prosperitatem respiciunt, Quatinus aeterni Patris beneplacitis gratificari credimus, favorabiliter promovemus. Sane recensentes rmemoriter quod ab olim, dum eramus intra Ordinem praelibatum, certa nos experientia instruebat quod super quamplurimis articulis inferius explicatis, Ordo ipse apostolicae provisionis remediis indigebat. Nos hactenus et moderno tempore super eis et nonnullis aliis, a dilectis filiis Guillelmo Cisterciensi, Ioanne de Firmitate, Ioanne de Claravalle, et Raynaldo de

---

<sup>1</sup> Istius constitutionis epitome legitur apud B<sup>1</sup> (ms. 3896 *biblioth. regiae. Bruxell.*, XIV saec.) fol. 79-91: « Chi senseyt che qui est estreit fors des status le pappe Benoit le doseine qui fut del ordene de Cîteaux». Item, apud D<sup>1</sup> (ms. 615 *Divionen.*, XVIII saec.). Textus noster, una cum § et earum titulis, de *Nomastico Cisterciensi* (Solesmis, 1892, p. 473 sq.) deponptus est.

Morimundo monasteriorum dicti Ordinis, Cabilonensis, et Lingonensis dioecesis abbatibus, diligentि collatione praehabita, super his omnibus plenarie informati, dignum ducimus pro urgenti necessitate ac evidenti utilitate Ordinis memorati, suudentibus etiam aliis iustis et rationabilius causis, statuta et ordinationes, prout series subscripta describit, auctoritate apostolica edere; quae volumus et decernimus solidam habere roboris firmitatem, eaque debere perpetuis futuris temporibus firmiter observari. Videlicet:

2. Quilibet conventus Ordinis proprium habeat sigillum.

Cum cautelae provisio in omnibus sit habenda, et praecipue ne paulatim deveniat in collapsum, quod est antiquitate vel prolixitate peracti temporis acquisitum; statuimus ac etiam ordinamus quod quilibet conventus cuiusvis monasterii. seu. alterius loci conventionalis dicti Ordinis habeat proprium et speciale sigillum.

3. Traditur forma iuramenti per quemlibet abbatem ad sancta Dei evangelia praestandi, priusquam administrationi monasterii se immisceat.

Et quod quilibet abbas monasterii sive alius loci alterius conventionalis administrationi principaliter praesidens eiusdem Ordinis, et etiam abbas Cisterciensis qui est pro tempore, antequam abbatiae suaे vel administrationi huiusmodi se immisceat, iuramentum. praestare ad sancta Dei evangelia teneantur; quilibet scilicet inferior in manibus patris abbatis, qui electionem de ipso factam con firmare habebit, et in praesentia sui proprii conventus; nec non ipse abbas Cisterciensis qui est pro tempore, suo conventui, et praenominatis tribus, nec non monasterii de Pontiniaco dicti Ordinis Antissiodorensis dioecesis abbatibus, si apud dictum monasterium Cisterciense praesentes extiterint: quod possessiones vel iura ad suum monasterium vel alium conventualem locum eius pertinentes seu pertinentia non vendet, nec alienabit, neque impignorabit, neque de novo infeudabit, nec per aliquem modum donabit, nisi per modum inferius designatum. Et hoc idem. illi qui nunc sunt abbates monasteriorum seu aliorum locorum conventionalium ipsius Ordinis regimini praesidentes, teneantur iuramentum praestare infra sex menses, postquam. statutum et ordinatio huiusmodi publicata fuerint in proximo secuturo Capitulo generali eiusdem Ordinis.

4. Assignatur modus observandus pro alienatione inmobilium et iurium, Pro diminutione pensionum et census, ac pro venditione arborum silvarum.

Quod quotienscumque alienationem rei immobilis, vel iurium alicuius monasterii, vel alterius loci conventionalis, vel diminutionem censuum, seu pensionum, vel canonis, aut venditionem arborum silvarum non caeduarum. imminere contigerit faciendas; tractatus duorum dierum ad minus interpolatorum diligens et matus praecedere debeat, habendus per abbatem monasterii seu praesidentem. reginúni alterius loci conventionalis

cuius erunt res, iura, census, pensiones, canon, et silvae huiusmodi, cum suo conventu monasterii seu alterius loci conventionalis prafati. Et nihilominus alienatio seu venditio huiusmodi fiat de consensu ipsius conventus, vel maioris et senioris partis eiusdem; et quod de tractatu et consensu iam dictis scriptura conficiatur authentica, in qua nomina et cognomina tractantium et consentientium et sigilla abbatis monasterii vel praesidentis regimini alterius loci conventionalis, et conventus monasterii seu. loci buiusmodi apponantur. Et antequam procedatur ad alienationem seu venditionem ipsam, petatur et obtineatur licentia super hoc ab ipsius Ordinis Capitulo generali; et subsequatur discussio super alienatione seu. venditione huiusmodi facienda per duos abbates praedicti Ordinis ab eodem monasterio seu. alio conventionali loco non remotos per dictum generale Capitulum. deputandis, et cum approbatione seu auctoritate duorum abbatum praefatorum; quodque tam abbas monasterii seu praesidentis ipsi conventionali loco, quam duo abbates praedicti, et etiam. pater abbas eiusdem monasterii, vel deputatus ab eo, praesente conventu ipsius monasterii, seu alterius loci conventionalis, cuius res, iura, census, pensiones, vel canon, aut silvae huiusmodi alienanda seu vendenda fuerint, iuramentum praestent ante discussionem praedictam, quod in praemissis fideliter se habebunt, ornni dolo et affectione inordinata remotis; et quod etiam fiat de causis alienationis seu venditionis huiusmodi, et solemnitatibus praefatis per quatuor abbates praedictos et praesidentem ipsi conventionali loco, sub eorum sigillis plena et fidelis relatio in proximo subsequenti generali Capitulo antedicto; ut videatur si circa haec omnia debite processerunt. Verum cum monasterium seu alius conventionalis locus, castrum, villa, grangia, vel res alia multum notabilis, alienandum, vel alienandus, seu alienanda fuerit; Capitulum. generale ipsius Ordinis alienandi licentiam concedere non praesumat, nec procedatur ad eam. quovis modo faciendam vel auctorizandam, nisi prius per idem Capitulum generale, Romano Pontifice consulto, et ab eo super hoc petita licentia et obtenta. Si vero, aliter quam praemissum est, aliquis abbas vel regimini praesidens alienare praesumpserit, tam. ipsi quam officiales ipsius monasterii seu loci conventionalis in hac parte consentientes eisdem, ab administrationibus suis per patrem abbatem deponantur eorum, et alienatio huiusmodi sic praesumpta, sit ipso iure irrita et inanis.

5. Ne pecunia rei venditae ad aliquos usus, nisi ad acquisitionem alterius reí, vel debitorum solutionem convertatur; et de poena contra hoc facientium; et quod sub quatuor seraturis talis pecunia reservetur.

Ceterum si propter alicuius monasterii seu loci conventionalis debita exsolvenda, vel ut aliquid aliud, quod eidem monasterio seu conventionali loco sit. utilius, acquiratur, aliquid alienandum extiterit; pecunia quae inde habebitur, ad nullos usus alias quam in acquisitionem seu debitorum. solutionern huiusmodi convertatur; et si secus actum fuerit, abbas monasterii vel alius praesidens conventionali loco, pecuniam huiusmodi ad usus

alios, ut praefertur, convertens vel conversioni huiusmodi consentiens, ad administratione sua per patrem abbatem deponatur ipsius. Ceteri vero monachi participes vel consentientes in id ipsum, sint ad quodcumque officium seu administrationem eiusdem Ordinis inhabiles ipso facto. Nec pecunia ipsa in solius abbatis seu alterius regimini praesidentis, aut bursarii alicuius eorum remaneat potestate; sed reponatur in aliquo securu loco, sub quatuor seraturis et diversificatis clavibus; quarum primam tenet abbas monasterii seu alterius loci conventionalis regimini praesidens, secundam bursarius, tertiam prior claustral, et quartam alius monachus ipsius monasterii seu loci conventionalis, de quo eiusdem monasterii seu loci conventionalis conventui vel maiori parti eiusdem expedire videbitur. fideliter conservanda.

6. Concessiones et locationes iurium et reddituum non fiant ultra quinquennimm.

Volumus etiam quod circa concessiones iuriurn aut reddituum alicui ad vitam eius vel aliud certum tempus, et circa locationes, vel etiam reddituum aut fructuum venditiones, ultra quinquennium faciendas, praemissa forma per omnia observetur; huiusmodi tamen consultatione ac licentia Romani Pontificis, et etiam licentia dicti generalis Capituli, et relatione in eo facienda, exceptis.

7. Quomodo possessiones parvae et steriles dari possunt sub annuo censu pecuniario, vel sub alia certa portione.

Permittimus tamen quod parvae, steriles vel inutiles possessiones concedi possint sub annuo censu pecuniario, vel sub certa portione, seu quota proventuum, ad tempus tantum, quantum visum fuerit abbatii alicuius monasterii vel praesidenti regimini loci conventionalis eiusdem Ordinis; praecedente tamen maturo et diligenti tractatu habito cum suo conventu, et de consensu ipsius vel maioris et sanioris partis eiusdem; praestitoque primitus iuramento per ambos abbates praedictos, eodem conventu praesente, quod concessionem huiusmodi facere intendunt, pro utilitate monasterii seu loci conventionalis, cuius erunt possessiones praedictae. Et si aliter huiusmodi concessio facta fuerit, eo ipso sit irrita et inanis. Si autem multitudo dictarum possessionum, quamvis parvarum, sterilium vel inutilium extiterit concedenda, tunc ante huiusmodi concessionem earum. consulatur idern Capitulum generale, ac ipsius super hoc habeatur licentia, prout superius est distinctum. Abbas vero vel praesidens regimini loci conventionalis, si contrarium attentare praesumpserint, ac officiales ipsius monasterii seu loci conventionalis super hoc ei consentientes, per eorum. patrem. abbatem a suis administrationibus deponantur.

8. Traditur forma secundum quam mutuum recipi potest; et quod abbas in remotis agens non possit mutuum ultra centum libras turonenses accipere.

Insuper quia plerumque contingit imminere necessitatis articulum, in quo ex diversis causis expedit abbatibus aut praesidentibus principaliter regiminibus aliorum locorum conventionalium contrahere mutuum; hanc provisionis cautelam modificatam. in hac parte volumus adhiberi, quod nullus abbas vel alias loci conventionalis regimini praesidens ipsius Ordinis, sine consensu proprii conventus mutuum recipere valeat; et quod in authetica scriptura obligationis inde facienda apponantur eorumdem abbatis vel regimini praesidentis. et conventus sigilla. Sed si abbas a suo monasterio vel regimini praesidens ab eius conventionali loco remotus exsisteret, talisque urgeret necessitas, quod sine receptione mutui sibi, familiae sua, aut negotiis utilibus, seu causis per eum agendis providere non posset: permittimus quod tunc sine suo conventu et eius sigillo mutuum recipere valeat; quod tamen summam centum librarum. turonensium parvarum, seu valorem ipsarum sive integraliter seu. particulariter non excedat. Cuius mutui quantitatem, causam obligationis ac personam a qua illud receperit abbas vel alias regimini praesidens mutuum ipsum recipiens, infra octo dies post eius regressum. ad monasterium. proprium vel suum conventionalis. locum, ipsius conventui ad hoc specialiter congregato explicare plenarie teneatur. Et quod ex quo semel usque ad huiusmodi summam centum librarum mutuum receperit, non possit amplius mutuum recipere sine consensu et sigillo conventus eiusdem, donec dictae centum librae fuerint integraliter persolutae. Quicumque autem. abbas vel alias praesidens regimini loci conventionalis per se vel per alium contrafecerit, eo ipso ab ingressu ecclesiae ac divinis officiis sit suspensus.

9. Contractus cum consensu conventus facti sigillis abbatis et conventus muniantur; habeatque abbatis sigillum proprium eiusdem nomen sculptum.

Et quia gesta hominum scripturae fidei committuntur, ut rei gestae memoria in posterum habeatur, volumus et ordinainus ut ubicunque abbates vel alii locorum. conventionalium regimini praesidentes aliquid cum expresso suorum conventuum consensu facient, de quo testimonialis conficiatur scriptura, quod sigilla ipsorum abbatum vel aliorum regiminibus praesidentium eorumque conventuum apponantur in illa; et quod deinceps in sigillo cuiuslibet abbatis vel alterius loci conventionalis regimini praesidentis, quocumque nomine censeatur, ipsius nomen proprium exprimatur, ut melius sciri possit per quem et cuius tempore id de quo agetur, factum exstiterit, et ut malitiis et falsitatum commentis via melius paecludatur.

10. Officiales monasteriorum in manibus suorum abbatum iuramenta praestabunt, quod iniuncta sibi officia fideliter exsequentur.

Praeterea, cum sit consonum rationi ut negotiorum gestores et officiales, de gerendo fideliter et utiliter negotia et officia exercendo illis commissa, iuramenti vinculo astringantur: volumus et ordinamus quod cellararii, bursarii, negotiorum gestores, rentarii

nuncupati, ceterique officiales cuiuslibet monasterii seu alterius loci conventionalis et eorum grangiarum. magistri, cum ad officia vel magisteria huiusmodi assumentur, iuramentum praestare teneantur in manibus eorum abbatis vel alterius loci conventionalis regimini praesidentis suique conventus, quod in commissis sibi officiis, administrationibus vel grangiis fideliter se habebunt; et quod de receptis et expensis fidelem computum. reddent, et reliqua ipsi monasterio seu conventionali loco aut eorum bursariis assignabunt; et quod illi cellararii, bursarii, negotiorum. gestores, officiales et magistri qui nunc sunt, praestare teneantur simile iuramentum.

11. In quolibet monasterio duo bursarii eligantur, qui pecunias undeque venientes recipient; et ex abbatis iusu aliis officialibus ministrent.

Et quia ubi prudentia et moderantia fidei firmitate vallatae non vindicant sibi locum, luxus inest longique temporis victum brevis hora consumit; decet et expedit ut per dispensatores prudentes et fidos quaeque manuteneatur substantia et etiam dispensemetur. Unde statuimus et etiam ordinamus quod in singulis monasteriis et aliis conventionalibus locis praedicti Ordinis, per abbatem seu alium. regimini praesidentern, de seniorum sui conventus consilio, duo bursarii deputentur quorum unus principalis exsistat; qui siquidem bursarii omnes pecunias ipsius monasterii seu loci conventionalis undeque provenientes universaliter recipient, et de dicti abbatis vel regimini praesidentis mandato ceteris officialibus et aliis distribuant, prout fuerit opportunum; ipsique bursarii quater in anno, sed ceteri officiales et receptores proventuum, semel et etiam pluries, si eidem abbati vel regimini praesidenti videbitur expedire, de omnibus receptis et expensis, coram praedicto abbatе vel regimini praesidente ac senioribus de conventu ipsius monasterii seu loci conventionalis, teneantur plenissimam et fidelem reddere rationem.

12. Abbates de rebus receptis et expensis per eos semel in anno senioribus rationem reddere tenentur; et in regressu de via computationes pecuniarum reddant.

Abbates vero vel regiminibus praesidentes, coram dictis senioribus et bursariis, annis singulis, de receptis et expensis per eos plenam et fidelem rationem reddere teneantur; recipientque ipsi abbates vel regiminibus praesidentes a dictis bursariis pecunias pro expensis eorum; et si, dum ipsi extra monasteria vel alia conventionalia loca eorum accesserint, eos pecunias contingat de proventibus monasteriorum seu locorum conventionalium corum aut aliunde recipere, huiusmodi pecunias in ipsorum regressu tradant bursariis praelibatis, computatis si quas de ipsis pecuniis expenderant. Abbates vero seu alii regiminibus praesidentes, si secus attentare vel sibi talia retinere praesumpserint, ab ingressu ecclesiae ac divinis officiis, post lapsum duorum mensium a die regressus huiusmodi computandorum, tamdiu suspensi existant, donec ea tradant bursariis memoratis.

13. Visitatores quot dies in visitatione cuiuslibet monasteri possint immorari et de expensis eorum; et quod non recipient munera.

Porro quia per visitationis actum, de vita et conuersatione illorum qui visitantur exquiritur, et per eum sincere debet, correctionis et reformationis officium, exerceri, nec proinde hi iuxta canonicas etiam sanctiones superfluis sunt impendiis aggravandi, statuimus et etiam ordinamus quod visitatores in aliquo monasterio per eos visitando, antequam., officium visitationis incipiunt, nisi prima die qua declinabunt ad illud, valeant demorari et si manere ibi voluerint, sequeantidie dumtaxat id licitum sit eisdem; et quod visitationes in eodem Ordine facienda deinceps non durent ultra triduum continuum, nisi apparens necessitas vel magna utilitas monasterii visitati dies exposceret ampliores; quodque ille visitator qui ultra ipsos primos dies; duos vel ultra praefatum triduum absque necessitate vel utilitate praedictis, easdem visitationes prorogare praesumpserit, si abbas fuerit, sit a stallo chori et loco capituli abbatialibus per unum sequentem annum eo ipso suspensus, et sedere in stallo et loco capituli remotis a stallis aliis et locis abbatialibus teneatur; si vero fuerit monachus, eo ipso sit per unum annum sequentem inhabilis ad quodcu:mque officium et administrationem seu gubernationem in eodem Ordine abtinenda, et nihilominus per sex menses sequentes in pane et aqua in suo monasterio iejunare qualibet sexta feria teneatur; et quod similes poenas incurant abbates et monachi, qui visitationis officium impendendo, numerum evictionum er felicis recordationis Clementem Papam IV praedecessorem nostrum super hoc taxatum excedent. Nec praesumant visitatores ipsi, ante huiusmodi eorum visitationera vel in ipsa seu post eam, occasione dictae visitationis aliquod numus suspectum per se vel alium recipere, nee illud a suis recipi permittant. Expensas tamen quas fecerint ad visitatum monasterium eundo et de ipso redeundo, recipere valeant iuxta ordinationem. super hoc factam per Clementem eumdem. Ubi autem a monasterio iam visitato usque ad monasterium visitandum aliquod vel aliqua monasteria in itinere constituta extiterint, ad quae dicti visitatores possint commode declinare, hoc ipsi efficere valeant; dictaque monasteria taliter constituta eosdern visitatores caritative recipere decenterque tractare, ac eis providere in viciualibus teneantur; et pro diebus quibus ad huiusmodi constituta, ut praefertur, monasteria declinabunt, et eis, ut praetangitur, provisum, extiterit, nullas expensas possint a monasteriis seu locis recipere visitatis. Abbas autem contra praedicta recipiens, nisi infra duos menses a receptione huiusmodi computandos, eis a quibus receperat receptum restituat, ipsis elapsis, duplum restituere teneatur; monachus vero quidquid contra id receperit, restituere non postponat, et ob hoc regulari subiaceat disciplinae.

14. Ne visitatores sibi alios abbates adiungant, nisi ut eos consulant; et ne nomina eorum qui sibi in visitationibus crima occulta revelant, aliquo modo detegant; et de numero evectionum abbatum.

Nec audeant praefati visitatores in ipsis visitationibus sibi alios abbates adiungere, nec ipsi alii abbates sese illis adiungant, nisi pro consilio vel auxilio, ubi casus depositionis alicuius, abbatis, vel aliud magnum et arduum negotium, seu patriae vel locorum per quae transire haberent, periculum immineret, seu. interpretatio linguarum necessaria foret. Verumtamen Cisterciensis et quatuor abbates quatuor principalium filiarum, qui sunt pro tempore ac superius nominantur, in eisdem visitationibus alium abbatem (si velint) secum recipere, vel sibi adiungere valeant. Neque predicti visitatores nomina eorum qui eis in ipsis visitationibus secreta revelaverint aliqua, ea revelare praesumant, nisi tunc demum cum propter revelata huiusmodi ad alicuius punitionem vel poenam fuerit procedendum; nec non revelantes huiusmodi puniantur, plus vel minus prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium ipsius Ordinis Capituli generalis. Et quod abbates maiores post abbatem Cisterciensem et quatuor filiarum abbates earumdem, principalium. filiarum, qui sunt pro tempore, extra visitationes eorum sex tantum, alii vero minores abbates quatuor evectionibus sint contenti; nec hoc praetextu qui paucioribus uti solebant, credant sibi potestatem plurium attributam.

15. Quomodo se habere debeant abbates et monachi, ac eorum familiae in monasteriis ad quae declinant tam eundo ad dictas visitationes quam, ad generale Capitulum.

Rursus praecavere volentes ne per abbates vel monachos dicti Ordinis declinantes ad alia monasteria eiusdem Ordinis, veniendo ad huiusmodi Capitulum generale vel de illo redeundo seu alias huiusmodi alia monasteria plus debito aggraventur, statuimus et ordinamus quod abbates aut monachi praefati ad idem Capitulum venientes vel de ipso redeuntes, seu alias tamquam hospites ad aliquod monasterium. seu locum conventualem iam dicti Ordinis declinantes, non remaneant in eodem monasterio seu conventuali loco vel in aliis eorum. locis, ad expensas ipsius monasterii aut loci conventionalis vel aliorum. locorum ipsorum, ultra diem qua illuc declinaverunt et sequentem, ipsi vel aliquis de familia eorumdem; nec ultra dictos dies abbas vel cellararius aut aliquis alius dicti monasterii seu loci conventionalis aut aliquorum locorum eorumdem, ipsos invitare vel amplius eis aliquid ministrare praesumat. Quod si ex aliqua rationabili causa ipsi vel aliquis de familia eorumdem. amplius remanere voluerint, expensas quas ibi tunc fecerint, de bonis proprii monasterii vel aliunde procuratis solvere teneantur. Quicumque vero contrarium fecerint, tam dantes quam recipientes, de inobedientia et transgressione huiusmodi statuti et ordinationis nostrorum per generale dicti Ordinis Capitulum puniantur. Sed per predicta nullum ius ipsorum declinantum alicui acquiratur, etiam per ipsos duos dies vel alias ad aliquod monasterium seu locum conventualem eiusdem

Ordinis aut locorum. eorum declinandi, aut in eorum aliquo remanendi; hoc tantum salvo, quod circa patenter infirmantes solita caritas et pia hospitalitas observentur.

16. Abbates non concurrentes ad generale Capitulum, duplices expensas, quas euntes et redeentes consumpserant, solvere teneantur; legitime vero impediti procuratorem, mittant, qui impedimentum esse legitimum iuret.

Quia vero ideo sunt huiusmodi generalia Capitula instituta, ut in eis de statu monasteriorum et aliorum locorum regularium, ac de reformatione Ordinis et observantia regulari tractatusdebeat diligens adhiberi: dignum et debitum fore dignoscitur,.ut ad illa convenient universi quibus id imminet praepeditionemcanonicam non habentes. Quare statuimus, et etiam ordinarnus, quod abbates ipsius Ordinis qui de cetero non venerint ad dictum Capitulum generale, qui venire tamen tenebantur, secundum Ordinis praedicti statuta, non habentes impedimentum legitimum seu licentiam speciale ab eo qui dare possit eamdem:exhibere teneantur duplum eius quod expensuri essent ad idem Capitulum veniendo et redeundo de illo, duplumque huiusmodisolvere in sequenti Capitulo generali in utilitatem ipsius generalisCapituli convertendum; et quod possint Diffinitores eiusdem Capituli generalis tales abbates non venientes ad duplum huiusmodi exsolvendum auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, coarctare; eorumque superhoc processum habendum et ferendas sententias publicas, ac facere publicari; quodque circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat fieri gratia, vel remissio indulgeri. Illi vero abbatesqui legitimum impedimentum seu licentiam huiusmodi asseruerint se habere, illa conventibus suis, tempore quo iter eundi ad dictum Capitulum arripere deberent, exponere teneantur; etnihilominus subsequenter de dictis impedimentis sive licentiam ipso generali Capitulo fidem facere per suum procuratorem seu excusatorem probum et idoneum virum, habentem speciale mandatum praestandi iuramentum in animam ipsius mittentis, causas absentiae ac impedimentum huiusmodi vera esse; quod quidem iuramentum praestare teneantur, si visum fuerit abbati Cisterciensi qui est pro tempore, ac praesidentibus ipsi Capitulo generali. Et si abbas ac praesidentes praefati tale impedimentum et licentiam ipsam non esse legitima fuerint arbitrati, tales abbates, qui ad idem Capitulum nequaquam venerant, declarent incurrisse poenam solvendi duplum praefatum, quemadmodum est praemissum.

17. Omnes tenentur solvere contributiones sibi impositas; renuentes autem aut impedimentum praestantes per censuras ecclesiasticas et alia remedia postposita appellatione cogantur.

Quia vero nonnulli, sicut accepimus, ad solvendum contributiones quae in eodem Ordine pro necessitatibus et usibus communibus et alias consuetis ipsius Ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles et remissos: Nos adversus eos et circa negotia

contributionum ipsarum, aliaque illa contingentia, prout sequitur, duximus providendum; videlicet quod abbatii Cisterciensi et quatuor abbatibus principalium filiarum supradictis, et qui pro tempore fuerint, et cuilibet eorumdem, auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam, et per alia remedia iuxta dicti Ordinis instituta et observantias consuetas aliaque opportuna remedia compellendi eos quibus dictae contributiones pro tempore impositae fuerint, ad solvendum. casdem.; et ad id etiam. coarctandum recusantes seu negligentes solvere praefatas contributiones iam impositas, et quosvis alios impedimentum praestantes publice vel occulte quominus contributiones praedictae solvantur; ad desistendum prorsus ab impedimento huiusmodi, nec non processus habendos, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliasque sententias ferendas in tales recusantes, negligentes et impedimentum praestantes nunc et in posterum in eorum et aliis monasteriis et locis circumvicinis, prout fuerit opportunum.; ac in generali Capitulo ipsius Ordinis publicandi, et publicari faciendi, plenam atque liberam concedimus tenore praesentium potestatem.

18. Capitulum generale nominet tres abbates, qui singulis annis praedictas contributiones recipiant; et de modo quem iuxta hoc observare tenentur.

Volumus autem quod praedictas contributiones deinceps recipiant tres abbates dicti Ordinis ad hoc per ipsum generale Capitulum seu per Diffinitores eiusdem. annis singulis deputandi, qui iuxta ordinationem. dicti Capituli seu Diffinitorum. eius pro necessitatibus et usibus communibus aliasque consuetis iam dicti Ordinis dispensem easdem. Et si quid de ipsis contributionibus superfuerit, in aliquo monasterio seculo ad hoc per dictum Capitulum vel per ipsius Diffinitores eligendo ponatur, et sub provisione custodiae per ipsos tres abbates super hoc adhibenda, sub tribus seraturis et diversificatis clavibus, de quibus quilibet ipsorum. trium. abbatum. suam clavem teneat, fideliter conservetur; tenebunt namque praefati tres abbates in subsequenti Capitulo generali de receptis et expensis per eos Diffinitoribus ipsius Capituli reddere rationem; et illud quod resrabit ipsi Capitulo seu Diffinitoribus ipsius Capituli custodiendum restituere modo praemisso per alios tres abbates per ipsum Capitulum seu Diffinitores eius, ut praetangitur, deputandos; dictique tres abbates quando ad praedicta deputabuntur, iuramentum. praestabunt quod in recipiendo, custodiendo et expendendo contributiones praedictas, ac in reddendo rationem de ipsis fideliter se habebunt. Poterunt autem dicti tres abbates receptores modo praedicto a generali Capitulo seu Diffinitoribus ipsius Capitali deputati de ipsorum abbatis Cisterciensis et quatuor coabbatum totidem principalium filiarum consilio, certis personis fidelibus et discretis annis singulis vices suas committere ad recipiendum contributiones in generali Capitulo non solutas; qui siquidem discreti praestabunt solemniter iuramentum, quod praefatas contributiones levabunt, exigent, et servabunt fideliter; et ad sequens generale Capitulum dictis commissariis generalis Capituli seu

Diffinitorum eius integraliter deportabunt; dictique tres abbates rationem reddent coram eisdem abbat Cisterciensi et quatuor coabbatis totidem principalium filiarum, si omnes ipsi praesentes fuerint, nec: non coram illis Diffinitoribus quos praefati Cisterciensis et quatuor coabbates in Divione decreverint retinendos. Volumus quoque quod fiat speciale sigillum, quo litterae solutionis contributionum dicti Ordinis de cetero sigillentur; quod quidern sigillum sub tribus seraturis et diversificatis clavibus penes dictos tres abbates, vel in aliquo monasterio de quo eis magis expedire videbitur, apud aliquem vel aliquos quem. vel quos eligendum vel eligendos decreverint, iam dictum sigillum modo praetacto servetur. Praedictae tamen personae, quibus de dictorum abbatis Cisterciensis et quatuor coabbatum totidem principalium filiarum consilio, ipsi tres abbates, ut praedicitur, committent vices suas, dum non solutas contributiones receperint, poterunt de solutionibus particularibus, quae fient extra Capitulum generale, recognitionem facere sub sigillis propriis eorumdem; sed illa quae fient postmodum eis sigillabuntur praedicto speciali sigillo. Praemissa vero circa ordinationem contributionum sic exactae et diligenter observentur in Ordine antedicto, quod etiam per generale Capitulum vel alium seu alias quoslibet, quovis colore quaesito, contra ea nihil fieri praesumatur; et si quis secus attentare praesumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.

19. Ne in Ordine Cisterciensi recipiantur in monachos vel conversos, nisi personae idoneae ad ea quae conveniunt monachis vel conversis, ac cum consilio seniorum.

Nempe cautius providere volentes, quod pro divini cultus et aliis obsequiis praestandis in Ordine praelibato, personae recipiantar idoneae ipsis officiis congruentes: statuimus et ordinamus quod de cetero in eodem Ordine non recipiantur in monachos vel conversos nisi personae idoneae ad ea quae conveniunt monachis vel conversis praedicti Ordinis; et nisi per abbates monasteriorum, vel principaliter praesidentium regiminibus aliorum locorum conventionalium ipsius Ordinis, et infra monasterium seu loca huiusrnodi cum consilio seniorum de conventu, seu maioris vel sanioris partis eorum monasterii vel alterius loci conventionalis, in quo monachorum vel conversorum fiet receptio praedictorum; si secus actum fuerit, carere iuribus decernentes.

20. Omnes monachi pannis bruni vel albi coloris utantur, et eorum familia non induatur virgatis vestibus, nec monachi curiosa ac superflua vasa argentea aut ornamenta habere praesumant.

Profecto quia honestas, temperantia, et modestia debent in cunctis personis ecclesiasticis et maxime regularibus divinis laudibus sedulius dedicatis locum praecipuum obtinere: statuimus et etiam ordinamus ut omnes abbates et praesidentes regiminibus, aliorum locorum conventionalium, et monachi eiusdem Ordinis pannis bruni vel albi coloris dumtaxat utantur et quod domiceffum seu domicellos de vestibus vel robis partitis. aut

virgatis indutum vel indutos, sive alias pretiosis ducere non praesumant. Quodque a curiositate ac superfluitate vasorum argenteorum, lectisterniorum, et quorumlibet ornamentorum. current penitus abstinere. Contrarium vero facientes per patres abbates eorum et per visitatores, vel per Capitulum generale ipsius Ordinis taliter puniantur, quod metus poenae aliorum sic excedere volentium meta existat.

21. Ne aliquis abbas, exceptis Cisterci et quattuor primis, ultra unicum saecularem clericum vel laicum equitantem ducat.

Et quod abbates monasteriorum et praesidentes regiminibus aliorum conventionalium locorum. dicti Ordinis, exceptis abbe Cisterciensi et quatuor coabbatis totidem principalium filiarum supradictis, qui sunt et pro tempore fuerint, ultra unum saecularern clericum sive laicum. equitantem ducere non praesumant.

22. Esus carnium in camera abbatis el infirmitorio, et nullatenus extra monasteria, monachis sub certa forma conceditur et de poena transgredientium.

Quia vero personas regulari observantiae deditas decet potissimum ab esu prohibitorum cibariorum, tam virtutis amore quam poenae formidine abstinere, ne ab eis in gastrimargiae lubricum descendatur: auctoritate praesentium firmiter inhibemus ne deinceps abbates et monachi dicti Ordinis extra monasteria seu loca conventionalia eiusdem Ordinis, et etiam ipsi monachi infra monasteria seu loca hurusmodi, aut in cameris et extra infirmitorium commune, carnes vel pulmenta cum carnibus condita vedecocta praesumant comedere. contra observantiam praedicti Ordinis diutius observatam. Nos enim licentias quas aliqui abbates et monachi iam dicti Ordinis dicunt a Sede Apostolica super esu carnium se habere, cum tales licentiae redundet in scandalum aliorum, penitus revocamus. Monachus autem vel conversus qui huicmodi nostrae inhibitionis transgressor extiterit, tribus diebus pro, qualibet carnium vel dictorum pulmentorum comedione ieunare in pane teneatur et aqua, et quod nihilominus quolibet ipsorum dierum in capitulo regularem accipi disciplinam; sed abbas inhibitionis praefatae transgressor, ad disciplinam ipsam, sed ad huiusmodi ieunia teneatur; et si scienter haec omiserit negligenter facere observari, etiam ex negligentia huiusmodi teneatur ad ieunia praelibata. Quae dem poenae nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliqua cum, aliquo dispensari. Quod si alicui super esu carnium vel pulmentorum praedictorum saepe inventi fuerint delinquentes, seu esum ipsum ordinationem huiusmodi frequentantes, et per abbates proprios quod a talibus abstineant canonice moniti non destiterint, sint post monitionem, huiusmodi per biennium, eo pso, inhabiles ad quaecumque officia et administrationes in eodem Ordine obtainendas; obtinentes vero illa removeantur, si abbatibus eorum visum fuerit, ab obtentis. Inhibemus quoque quod nullus monachus vel conversus. dicti Ordinis, cuiuscumque conditionis existat, etiamsi officium

habeat, nisi aegritudine gravi vel debilitate detentus fuerit, carnes de cetero in cameris infirmitorii comedere praesumat, sed omnes comedant in refectorio communi in infirmitorio deputato. Neque carnes parentur vel decoquantur alibi quam in.. infimitorio communi seu in coquina eidem infirmitorio deputata vel in posterum deputanda; nisi abbas ex aliqua causa rationabili alibi decoqui vel parari mandaret easdem, vel in eius absentia ille cui dictus abbas commiserit vices suas. Ubi cumque autem carnes pro aliis quam pro infirmis vel debilibus paratae fuerint, per infirmarium inter comedentes in infirmitorio dividantur. Abbatibus vero bene me ritis, qui cesserint vel cedent in posterum spontanea voluntate, locus et esus carnium per abbatem proprium secundum suae discretionis arbitrium concedatur. Et quilibet abbas dicti Ordinis ex indulgentia possit interdum aliquos, fratrum, nunc hos et nunc: illos, prout necessitas postulaverit, advocare, ipsosque secum in camera sua melius et plenius exhibere. Abbates autem et aliae notabiles personac ipsius Ordinis ad monasteria declinantes de abbatis vel, eo absente, de praesidentis regimini eiusdem monasterii licentia, in camera ipsius abbatis vel in communi infirmitorio carnibus uti possint. Et quoniam aliqui monachi dicti Ordinis in nonnullis monasteriis et studiis sibi temere vindicare praesumunt quod certis diebus qualibet septimana iuxta observantias seu. consuetudines vel statuta, quae super hoc allegant (minus tamen rationabilia), eis carnes debeant ministrari: Nos huiusmodi abusum, observantias, consuetudines, seu. statuta huiusmodi utpote vergentia in eorum religionis opprobrium et exempli perniciem aliorum, penitus reprobantes auctoritate eadem ordinamus quod nullus. abbas, provisor, prior, cellararius, vel alius deinceps haec afiquatenus observare praesumat, ne etiam. observari permittat, aut ministrare vel ministrari facere occasione observantiarum, consuetudinum, seu statutorum praedictorum carnes alicui praedicti Ordinis. praeterquam in aliis casibus licitis et permisis.

23. Omnes monachi in dormitorio dormiant; exceptis infirmis et officialibus; hi enim in locis sibi deputatis iacent, illi vero in cameris infirmitorii.

Cumque tam secundum canonica quam regularia instituta in unum locum dormire debeant monachi universi, et praetextu camerarum seiunctarum, quae in aliquibus monasteriis extra infirmitoria, et propter cellas quae in dormitorii sunt constructae, multae sint dishonestates et dissolutiones inductae. Nos super his expressius et salubrius providere volentes, statuimus et ordinamus quod nullus de cetero monachorum in cameris iacere audeat, nisi solummodo propter invaleitudinem corporalem, et tunc in cameris infirmitorii dumtaxat; sed omnes in dormitorio iaceant, nisi forte ab hoc aliquis propter officium excusetur, et tunc possit alibi, si aliter commode in dormitorio iacere non valeat.

24. Ne cellae deinceps in dormitorio construantur, et quae constructae sunt, destruantur.

Ad hoc etiam statuendo et ordinando adiicimus quod deinceps cellae in dormitorii nullatenus construantur; et si quae iam constructae fuerint, omnino per abbates vel principales praelatos proprios infra tres menses a tempore quo hoc statutum et ordinatio ad eos pervenerit, et eis negligentibus seu non volentibus, per visitatores in prima visitatione quam impendent, auctoritate apostolica destruantur. Et quod super his resistentes eisdem vel impedimentum aliquod praestantes, et ad hoc: dantes auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, incurant excommunicationis sententiam ipso facto; a qua quidem sententia nequeant nisi per visitatores absolvi praefatos; quos etiam ipsi visitatores per alia iuris et statutorum eiusdem Ordinis remedia valeant coercere. Priores tamen claustrales et supprios possint iuxta abbatis vel praelati principalis arbitrium cellam habere infra dormitorium competentem. Dicti auteni visitatores quod super his invenerint vel fecerint, referant plene ad fideliter in ipsis Ordinis subsequenti Capitulo generali.

25. Monachis non est praestanda portio panis, vini, pecuniae, nec eis aliqua pars redditus pro victu vd vestitu, aut quacumque alia de causa assignetur, sed omnia illis sint communia.

Quia vero in nonnulis monasteriis seu aliis locis conventionalibus dicti Ordinis, servari dicitur abusive quod quilibet monachus certi bladi, panis, vini, vel pecuniae recipiat portionem: Nos prorsus abusum huiusmodi detestantes, et etiam abolentes, ac volentes in hac parte utiliter providere: auctoritate predicta firmiter prohibemus quod deinceps in nullo ipsis Ordinis monasterio fiant huiusmodi portiones; sed ministrentur unicuique, prout communitas eiusdem Ordinis observavit hactenus atque servata; adiicientes et prohibentes etiam quod nulli monacho certi redditus aut proventus, seu pars reddituum vel proventuum, aut aliqua pensio pro victu vel vestitu seu ex quacumque alia causa de cetero concedantur, vel alicui assignentur, aut alicui vel aliquibus monachis ab extraneis concessi vel donati permittantur eisdem; sed utilitatem monasteriorum ipsorum per abbates proprios convertantur. Quodque inter abbates et conuentus aut officiales alicuius monasterii dicti Ordinis nequaquam fiat sectio bonorum, fructuum, reddituum, vel proventuum eorum, sed communibus ipsorum usibus deputentur.

26. Nulla divisio fructuum vel reddituum inter abbates, conuentum et officiales fiat et factae revocentur; abbates qui oppositum fecerint, deponantur; monachi vero predictis contradicentes perpetuo carceri mancipentur.

Nos enim concessiones vel assignationes eisdem monachis de dictis redditibus vel proventibus, seu eorum parte aut pensione aliqua, ut praermissum est, factas, ac sectiones bonorum seu discretiones fructuurn, reddituurn, vel proventuurn huiusmodi, totaliter revocamus. Abbates vero qui deinceps portiones predictas, aut sectiones seu divisiones

huiusmodi bonorum et aliorum praefatorum monasteriorum suorum fecerint, vel fieri concesserint, aut hactenus factas servari permiserint, deponantur. Monachi autem qui predictis restiterint, vel impedimentum per se vel per alium praestiterint, seu praestari procuraverint, tanto tempore carceri mancipentur, quanto abbati seu alii principali praelato eorum visum fuerit expedire; at si etiam abbati vel ipsi principali praelato in hoc contradixerint, perpetuo carceri mancipentur.

27. Abbatibus bene meritis qui voluntarie cesserini, de consilio seniorum congrua provisio poterit eis assignari.

Abbatibus vero bene meritis, qui voluntarie cesserint vel cedent in posterum, sufficiens et congrua provisio, prout patri abbati successori cedentis abbatis, de consilio seniorum de conventu. illius monasterii cuius regimini cessit vel cedet, visum fuerit, assignetur et etiam praebeatur.

28. Quis possit habere in monasterio equum aut mulam ad iter agendum.

Et ut ornnis evagationis ac inutilium expensarum occasio subtrahatur, eadem auctoritate inhibemus ne quisquam monachus vel conversus dicti Ordinis, cuiuscumque status vel conditionis existat, equitaturam tenere praesurnat: cellarariis; procuratoribus, et grangiarum gubernatoribus dumtaxat exceptis, quibus abbas possit hoc: de una tantum concedere, si viderit expedire; cellarariis tamen Cisterciensis et aliorum quatuor monasteriorum totidern principalium filiarum predictarum, duae possint equitaturaem concedi, si eorum abbatibus videatur.

29. Prohibetur monachis pecuniam congregare, iura vel alia bona proprio vel etiam alieno nomine emere, aut pecuniam occultare vel detinere; sed omnia Per abbatem in utilitatem, communem, applicentur; contra hoc facientes taxatae poenae.

Quamvis autem contra monachos proprietarios, exceptis administratoribus, sit plene provisum per canonicas sanctiones, cum. abdicatio proprietatis sit annexa regulae monachali: Nos tamen specialius providere volentes contra illos monachos et conversos dicti Ordinis, qui suae salutis obliti, contra regularem institutionem pecunia congregata, iura, possessiones, redditus, pensiones, animalia, et alia bona emerunt et emunt, seu emi fecerunt et faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis, aliisque ipsa tradunt animalia nutrienda, et cum augmento vel lucro sibi vel alteri, eorum nomine, seu pro ipsis, et alios multos contractus tamquam negotiatores exercent; necnon appetentes lucra turpia et sectantess, peculium occultant, et illicite detinent in suarum periculum animarum: auctoritate praefata decernimus, omnia praemissa (quae tamen alias restitutioni non subiaceant aliorum) fore per abbates proprios monasteriis propriis applicanda, et in utilitatem monasteriorum ipsorum totaliter

convertenda; quodque ipsi abbates alicui monacho vel converso talia faciendi licentiam nequeant impertiri; et quod dicti monachi et conversi praedicta committentes, vel huiusmodi applicationi. vel conversioni aliquatenus resistentes, vel impedimentum publice vel occulte praestantes seu praestari procurantes, et peculium praedictum. non revelantes et reddentes abbatibus praelibatis, sint eo ipso inhabiles ad quodcumque officium, administrationem, regimen. et gubernationem quamlibet in eodem Ordine obtainenda. Permittimus tamen quod. cum ipsis monachis et conversis possit abbas eorum super poenis huiusmodi dispensare, dum praedicta revelaverint, et plene restituerint, quando eis videbitur expedire. Monachis autem. et conversis, etiam administrationem habentibus, pecunias vel alia bona quibuscumque mutuantibus, vel debita fingentibus quae non debent, talis poena per abbates proprios imponatur, quae sit illis ad salutaris correctionis profectum, et ceteris attentare similia volentibus in exemplum.

30. Abbates monachis et conversis sanis et infirm. secundum monast. facult. necess. provid. tenentur; inhibeturque ne plures monachos, quam potest alere, quodlibet monast. recipiat.

Et quia per ministros providos administrationes bonorum consueverunt fructuose ac laudabiliter exerceri: volumus ut abbates monasteriorum eiusdem Ordinis sic bona monasteriorum suorum dispensare ac providere taliter teneantur quod monachis et conversis tam sanis quam infirmis sufficienter provideatur in victu et vestitu, secundum cuiuscumque monasterii facultates, et qualitates cuiuslibet regionis; quodque in monasteriis praedictis non plures monachi vel conversi ponantur, quam ex facultatibus dictorum monasteriorum possit congrue provideri.

31. Plura circa studia generalia et collegia, ad quae monachi ex diversis provinciis ad discendum mittantur, statuuntur.

Praebere quippe materiam intendentis, quod in eodem Ordine per sacrae theologiae studium professores ipsius erudiantur et illustrentur in illa, ut in Ecclesia Dei sibiipsis et aliis fructus salutis, favoris, honoris et honestatis, coelesti agricola irrigante ac multiplicante, producant: matura deliberatione habitata, subscripta de praefato et alias litterali studio, scolaribus provectis et doctoribus, et alia quae circa ea rationabilia et opportuna fore perspeximus auctoritate saepe dicta statuimus, ordinamus, et disposuimus pro moderno et postero tempore valitura perpetuo et inviolabiliter observanda: videlicet quod generalia studia dicti Ordinis in sacra pagina Parisius, Oxoniae, Tolosae, et apud Montem Pessulanum Magalonensis dioecesis, deinceps existant. Studium autem quod Stellae Pampilonensis dioecesis fore consuevit, in Salarnanticam transferimus propter propinquitatem studii Tolosanensis; ordinantes quod Bononiae: fiat studium, quando

commode fieri poterit domus pro studentibus, vel ematur; fiatque Salamanticae, illud idem. Metis quoque sit particulare studium in scientiis primitivis, ubi etiam domus pro Alemannis per generationem supradicti monasterii Morimundi ematur, quantum generatio ipsa in Alemanniam se extendit. Quodque domibusibus eorum qui studebunt Bononiae et Salamanticae, illi abbates seu rectores eorum praesint. De quibus ordinabitur per ipsius Ordinis Capitulum generale. De his namque provinciis, scilicet de Viennensi, Tarentasiensi, Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi. Narbonensi, Bituricensi, Auscitanensi, Tarraconensi, Caesaraugustanensi, Burdigalensi et Telosanensi, ad pafata Tolosanensia et Montispessulanensia studia transmittantur. Qui vero ad Stellam mitti consueverunt, Salamanticam destinentur, exceptis illis de regno Navarrai, qui mittantur ad ipsum studium Tolosanense; sed Alemanni dirigantur ad studium Metense pro dictis scientiis primitivis; ad quod quidem Metense studium. nullus de generatione Claraevallis mittatur invitus. Bononiam autem Italici, et Oxoniam Anglici, Scotti, Wallenses et Hibernici destinentur.

32. Monachi dociliores et magis idonei per abbates suos de consilio visitatoris et conventus ad studia mittantur, et quo tempore mitti debeant.

Sed ad studium Parisiense, quod est ceteris praecipuum et fons omnium studiorum, indistincte mittantur ex omni natione vel generatione secundum modum. inferius annotatum: videlicet quod abbates monachos illos quos habebunt ad dicta studia mittere, ad ea de consilio patris abbatis vel visitatoris et conventus propriae, aut sanioris partis eiusdem conventus transmittere teneantur; sic tamen quod mittantur magis dociles et idonei, nec non ad proficiendum dispositi; et quod tali tempore transmittantur, quod prima die mensis octobris vel circa in studio Parisiensi exstant; in aliis vero studiis in beati Lucae vel Omnia Sanctorum festis infallibiliter sint praesentes.

33. Quot collegas quodlibet monasterium, et ad quae collegia mittere possit.

Numerus autem mittendorum videtur sufficere prout sequitur, consideratis oneribus iam dicti Ordinis et temporum qualitate: scilicet quod de quolibet monasterio cuiusque provinciae seu generationis, in quo sunt vel erunt aut esse poterunt quadraginta monachi vel supra, Parisius debeant mitti duo; de quolibet vero monasterio in quo sunt vel esse poterunt triginta monachi et supra usque ad quadraginta monachos exclusive, ad idem studium Parisiense debeat mitti unus; et de quolibet monasterio in quo erunt vel esse poterunt decem et octo monachi et supra usque ad triginta monachos exclusive. ad alia generalia studia vel Parisius, si mittentes maluerint, debeat similiter unus monachus destinari. Ad Metense autem studium, cum fuerit institutum, de quolibet monasterio generationis dicti monasterii Morimundi, quantum ipsa generatio se in Alemanniam et ultra Rhenum extendit, in quo erunt vel esse poterunt decem et octo monachis inclusive

usque ad triginta monachos exclusive, unus mittatur ad minus pro scientiis primitivis, pro quibus, dummodo ipsi mittentes ad illud mittant, destinare ad alia non cogantur.

34. Certa pecuniae quantitas cuilibet lectori, magistro, baccallario, studenti, ut suis necessitatibus provideant, assignatur.

Provisionem equidem studendum taliter limitamus, et sufficientem esse conspicimus: videlicet quod magister regens Parisius de communi contributione dicti Ordinis vel de redditibus communibus octoginta libras turonensium parvorum, et a monasterio proprio viginti quinque libras eiusdem monetae pro bursa et aliis necessitatibus suis; baccallarius vero regens Parisius de dicto communi viginti quinque, et a proprio monasterio, alias viginti quinque pro bursa et aliis necessitatibus eius; ac lector Bibliae in eodem studio, de praefato communi decem, et a proprio monasterio viginti libras ipsius monetae percipient annuatim. Quilibet vero scolarium studens in ipso studio, viginti libras dictae monetae a proprio monasterio, pro bursa et aliis necessitatibus suis percipiat similiter annuatim. Sed in aliis studiis patres abbates ipsorum studiorum rectores magistro in theologica facultate in illis regente, de quadraginta libris praedictae monetae pro bursa et aliis necessitatibus suis providere annis singulis teneantur. Quando autem baccallarius in eisdem studiis reget, ubi commode non reperiretur magister, teneantur dicti patres abbates dicto baccallario de triginta libris dictae monetae, pro bursa et omnibus necessitatibus suis annis singulis providere. Ordinamus quoque, ut, in quolibet generali praedictorum studiorum, unus, qui Biblam biblice seu textualiter continuo legat, existat: cui ultra quindecim libras iam dictae monetae quas percipiat a proprio monasterio pro bursa, centum solidi eiusdem monetae pro omnibus aliis necessitatibus suis annuatim a cellarario de bursis scolarium tribuantur. Quilibet autem scolaris in dictis aliis studiis generalibus praeter studium Parisiense ac in dicto studio Metensi, quindecim libras praedictae monetae a proprio monasterio pro bursa et omnibus aliis necessitatibus suis percipiat annuatim. Siquidem omnes provisiones huiusmodi, tam abbates dictorum studiorum rectores quam abbates proprii, prout quemlibet eorum continget, seu tangere poterit, mittere teneantur ad dicta studia eorum sumptibus, et illas ibidem solvere terminis superius designatis, quibus ipsi mittendi esse debent in studiis memoratis.

35. De iuramento cellararii et aliorum officialium in diversis studiis existentium; et de ratione reddenda eorum quae receperint.

Cellararii vero et alii expensas dictorum studiorum facientes teneantur iuramentum praestare quod omnia quae recipient de provisionibus ipsorum studiorum et studentium fideliter dispensabunt; et tenebuntur etiam reddere ratione in de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis, praesentibus magistro seu lectore dictorum studiorum, baccallario et

provisore ac septem aliis discretioribus scolaribus, quos dicti provisor, magister et baccallarius ad id deliberaverint advocandos.

36. Quo tempore abbates assignatam pecuniam scolastici mittere teneantur; et nisi miserint, qua poena puniantur.

Et ut ipsi abbates qui ad mittendum. et ad providendum adstringuntur, prout superius est expressum, diligentiam adhibeant, et abiificant desidiam in praemissis, volumus et ordinamus quod abbas qui dictis terminis monachos seu. monachum, quemadmodum praetactum extitit, non miserit cum provisionibus supradictis, teneatur elapso mense duplum. provisionum huiusmodi suis expensis mittere ad studium. ante dictum. Cuius quidem dupli medietas studenti pro quo mitti debebant, pro libris applicetur emendis, et alia in usus communes aliorum studentium per cellararium convertatur. Et si dictus abbas duplum praefatum, ut praefertur, infra sex menses dictos terminos immediate sequentes non miserit, ei sit, eo ipso, elapsis ipsis sex mensibus, ingressus ecclesiae interdictus; dictasque poenas incurvant patres abbates eorumdem. studiorum rectores, qui dictis terminis non miserint et non solverint. provisiones praefatas, prout superius est descriptum. Quod si praedicti poenas huiusmodi per tres menses dictos sex immediate sequentes pertinaciter toleraverint, eo ipso a divinis officiis sint suspensi.

37. Cui incumbat cura animarum studentium in collegiis Ord. císterc.; si quis autem laudabilis vitae et ad baccalariats gradum idoneus ínveniatur, ibidem permat usquedum magisterii insigniis laureetur.

Et ut eisdem studentibus animarum cura non desit, volumus et ordinamus quod in eisdem studiis generalibus patres abbates ipsorum studiorum rectores deputent idoneos provisores, qui curam habeant animarum studentium in eisdem, quique illos corrigant et absolvant, sicut proprii abbates subditos proprios corrigere et absolvere possunt in monasteriis eorumdem; propter hoc tamen dicti studentes a potestate proprii abbatis exempti aliquatenus non existant. Ubi autem erit aliquid de Ordine ipso in Parisiensi studio assignatus, qui sit vitae laudabilis, aliasque idoneus et discretus et ad baccalariatum vel magisterium. theologiae dispositus et propinquus, abbas Cisterciensis qui est pro tempore, cum consilio magistrorum, baccallariorum et provisoris domus studentium Parisiensium, mandet abbati proprio quod talem non revocet, sed eum permittat in huiusmodi scientia perfici et ad statum baccallariatus ac honorem magisterii provehi, lecturamque continuare, prout ipsius Ordinis generale Capitulum ordinabit. Possit tamen ipsum generale Capitulum in deficientibus magistris seu baccallariis in theologia, talem etiam ante baccalariatum vel magisterium in quolibet praedictorum generalium studiorum principalem deputare lectorem, si eidem generali Capitulo visum fuerit expedire.

38. Caveant ne monachi in aliquo dictorum studiorum aut extra illa canonica audiant, et quam poenam incurant contraria facientes.

In favorem utique studii eiusdem theologiae, ut ab alumnis eiusdem Ordinis studentibus illi ferventius intendatur, statuimus, ordinamus et prohibemus expresse, quod in nullo dictorum studiorum legantur vel audiantur iura canonica, nec etiam extra illa per aliquem studentium eorumdem. Quod si quis contrarium attentare praesumpserit, sit eo ipso ad claustrum suum ab hujusmodi studio revocatus, nec cellararius dictorum studiorum ex tunec aliquo illi provideat; sed incontinenti ad proprium monasterium remittatur, de transgressione ac inobedientia huiusmodi secundum arbitrium abbatis propriae puniendus.

39. Cui competat providere praedictis studiis, de lectoribus et aliis officialibus, et cui studio qui lectores sint assignandi.

Et ut in dictis studiis pro studentibus in eis necessaria non desint obsequia, volumus et ordinamus ut praefati abbates ipsorum studiorum rectores in eis provideant de cellarariis et aliis officialibus idoneis, prout necessitas vel utilitas cuiuslibet studiorum requiret ipsorum; quodque ipsi cellararii et officiales iuramentum praestabunt de fideliter dispensando ac de receptis et expensis rationem reddendo, quemadmodum superius est expressum. Et quia decet et expedit ut inter studia cetera studium Parisiense refloreat, et iuge sine intermissionis dispendio habeatur, statuimus et ordinamus quod in eodem studio Parisiensi deputentur magistri, baccallarii et lectores Bibliae, ac provisores, cenellerarii et alii officiales per dicti Ordinis Capitulum generale. Quod si ipsi vel aliquis eorum deficiant, seu ex aliqua causa magistri, baccallarii et lectores lecturam assumere vel continuare, aut cellararii et officiales praedicti sua officia exercere nequirent, subrogentur alii loco eorum per visitatorem illius anni usque ad sequens dumtaxat Capitulum generale; in aliis etiam studiis generalibus magistri seu lectores principales per dictum generale Capitulum deputentur. Alii vero minores lectores et officiales per abbates eorumdem studiorum rectores debeant deputari. In ampliorem namque favorem et continuationem durabilem studii huiusmodi theologiae iam dictae, statuimus et ordinamus quod quamdiu pro dictis studiis generalibus praeter Bononiense, Salamanticense, et Metense studia, magistri in theologia idonei de praefato Ordine in eodern studio Parisiensi, vel si non ibi, alibi poterunt reperiri, teneatur idem Capitulum generale magistrum in theologia principalem deputare lectorem; alioquin magis idoneum baccalarium quem ad hoc poterunt Parisus, vel si non ibi, alibi reperire; quos dictum Capitulurn generale ad suscipiendum et continuandum lecturam huiusmodi, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam ac alia opportuna remedia, sublato appellationis obice, etiam auctoritate apostolica coarctandi dicto Capitulo ac Diffinitoribus ipsius, nec non abbatibus dictorum studiorum rectoribus communiter vel divisim plenam atque liberam

tenore praesentium concedimus potestatem. Praefato insuper Capitulo generali similem potestatem concedimus compellendi, appellatione remota, per censuram et remedia huiusmodi, abbates ipsorum studiorum rectores ad recipiendum magistros in theologia et baccallarios ad praedictam lecturam, et ad providendum eisdem de communi contributione ipsius Ordinis et pro bursa et aliis necessitatibus eorum annis singulis, prout de provisionibus huiusmodi est superius limitatum. Ipsi vero magistri non pompose manere, seu laute vivere praesumant in studiis ante dictis, sed humiliter et devote legant; cibis competentibus vescantur, et uno solo servitore clero sint contenti. In studio autem Metensi provideat de lectoribus et aliis officialibus domus studentium abbas supradicti monasterii Morimundi, qui est et qui pro tempore fuerit, de consilio sui conventus vel maioris et sanioris partis eiusdem, prout sibi videbitur expedire.

40. De iuramento novorum magistrorum et baccallariorum in theologia; et quod in festo magisterii non expendantur ultra mille turonensem argenti.

Et cum sit dedecens et deformis ut quis praesertim religiosus cum vanitate ac imperitia cathedram ascendat praeminentiae magistralis, statuimus et ordinamus quod de cetero nullus de Ordine praedicto assumatur ad recipiendum magisterii seu doctoratus honorem, nisi prius per eum praestito iuramento in praesentia provisoris et studentium ipsius Ordinis tunc praesentium in studio, in quo huiusmodi honorem recipere voluerit, seu maioris partis numero eorumdem, quod in assumptionis ipsius honoris, vel ante seu post, occasione illius circa cibos, vestes, vel alia non expendat per se vel per alium undecumque habuerit, vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit, ultra valorem mille turonensem argenti expendi permittat ab aliis eius consanguineis vel amicis. Baccallarii etiam iuramentum praestare teneantur in praesentia praedictorum, quod occasione baccallariatus sui vel ante seu post nullum festum, seu convivium faciant per se vel alium, seu fieri permittant, quantum in eis fuerit, a quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis.

41. Quot cursus in theologia debeat perlustrari quilibet monachus, ad hoc quod in diversis studiis generalibus possit legere.

Ad haec denique statuimus et ordinamus, quod quicumque dicti Ordinis, qui tamen in eodem studio Parisiensi vel in aliquo alio praedictorum generalium ipsius Ordinis studiorum per sex annos in theologia studuerint et ad hoc idonei extiterint, in dicto studio Parisiensi possint cursus Bibliae facere; et qui per octo annos studuerint, ut praefertur, sententias legere in Parisiensi studio mernorato; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ac observantiis Ordinis, monasteriorum, locorum, conventionalium et studiorum saepe dictorum contrariis, iuramentis, confirmationibus apostolicis, aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis; et illo praesertim statuto, quo in eodem studio

Parisiensi caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum. Bibliae, nisi ibidem studuerit septem annis; quodque non permittatur sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis, prout sic aliter in statutis ipsius studii Parisiensis dicitur contineri; nec non quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, Ordinis monasteriis, locis conventionalibus, et studiis praefatis sive universatibus magistrorum et scolarium eorumdem in contrarium concessis; per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum et ordinationum nostrarum, omniumque et singulorum, contentorum in eisdem litteris, valeat quomodolibet impediri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus plenam et expressam oporteat in nostris litteris fieri mentionem.

42. Praesens privilegium singulis annis in Cap. gen. Et semel in anno in capitulo cuiusvis monasterii Ordinis, de verbo ad verbum legatur.

Ne autem suprascripta vel aliqua seu aliquod eorumdem in oblivionis lubricum deducantur seu parvipendantur ab aliquo, quinimo ut de ipsis nunc et perpetuis futuris temporibus notitia certior habeatur, eadem auctoritate statuimus, ordinamus et districte iniungimus ut in primo generali Capitulo dicti Ordinis et deinceps singulis annis in eodem Capitulo generali, ac semel quolibet anno in quocumque monasteriorum et locorum conventionalium praedicti Ordinis, omnibus monachis eorum in capitulo ad hoc specialiter congregatis, praemissa omnia et singula de verbo ad verbum legantur et etiam publicentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, constitutionum, statutorum, ordinationum, permissionum, provisionum, inhibitionum, reprobationum, detestationum, abolitionum, revocationum, dispositionum, limitationum et mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attendere praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

*Datum apud Pontem Sorgiae Avenionensis dioecesis quarto idus iulii, pontificatus nostri anno primo.*